

З В І Т

Дирекції ц. к. гімназії з руским
викладовим язиком в Коломиї

за рік шкільний

1908/1909.



З М И С Т :

1. Наукова частина — *De coniunctivi modi apud Vergilium natura ususque.* Scripsit M. Posackyj.
2. Урядова частина — Директора.

НАКЛАДОМ НАУКОВОГО ФОНДУ.

В КОЛОМИЇ 1909.

З друкарні Вільгельма Бравнера в Коломиї.



Mr. inst. Spr. 307

De coniunctivi modi apud Vergilium
natura usque.

Scripsit

M. Posackij.

Opera, quae de coniunctivo modo tractant. Opera, quibus ipse usus sum, asterisco signavi:

* A. Draeger, Historische Syntax d. lat. Sprache, 2. Aufl. Leipzig, I. Bd. 1878, II. Bd. 1881.

* R. Kühner, Ausführliche Grammatik der lat. Sprache Hannover, II. Bd. 1879.

* Holtze, Syntaxis priscorum scriptorum usque ad Terentium, pars II., Lipsiae 1862.

* Fr. Stolz — J. H. Schmalz, Lateinische Grammatik, 3. Aufl. München 1900 (cum copioso indice operum).

* Hübner, Grundriss zu d. Vorlesungen über d. lat. Grammatik, II. Aufl. Berlin 1881 (cum copioso indice operum).

* Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, neu bearbeitet von Schmalz und Landgraf, Berlin 1884—1888.

Giles, Vergleichende Grammatik d. klass. Sprachen,, Leipzig 1896.

Deecke, Erläuterungen zur lat. Schulgrammatik, Berlin 1893.

Schweizer-Siedler, Grammatik der lat. Sprache, I. II., Berlin 1861—65.

Leo Meyer, Vergleichende Grammatik d. griech. u. lat Sprache, I. II. Berlin 1861—65, I. Bd. 2. Aufl. Berlin 1882—84

Hermann Lattmann, De coniunctivo latino, Göttingen 1896.

Heidtmann, Die Negation bei dem lat. Conjunktiv. prohibitus, Programm Wesel 1858.

Cramer, De perf. coni. usu potentiali, Marburg 1886.

Schmalz, Potent. Perf. act. et Perf. depon. in: Archiv für klass. Altertumswissenschaft, I. 347; Indogerm. Forschungen, IV. 229 ss.

Aken, Grundzüge der Lehre vom Tempus u. Modus im Griechischen, Rostock 1861.

Kieffer, Grammatische Untersuchung in Bezug auf den Conj. d. lat. Sprache.

Kühn, *De enuntiationibus relativis linguae latinae*, Brandenburg 1836.

E. Becker, *De syntaxi interrogationum obliquarum apud priscos scriptores Latinos*, in: Studemunds Studien auf dem Gebiete des archaischen Lateins, I. 1. Berlin 1873.

Wagner, *De coniunctivi Modi apud Latinos natura usuque*, Marburg 1818.

Fr. Tiburtius, *Versuch, die Lehre vom Gebrauch des Konj. im Latein. auf sprachwissensch. Grundlage zurückzuführen*, Leipzig 1822.

W. Mohr, *Versuch einer wissensch. Begründung der Lehre vom Conj. im Latein.*, Göttingen 1827.

C. A. Thortsen, *De Coni. modo eiusque usu in lingua Latina*, Havniae 1827.

Jahns *Jahrbücher f. klass. Phil. u. Pädag.* 1827, 2, p. 192; 1831, *Suppl.* Bd. I. 1.

A. G. Gernhard, *De vi et usu coniunctivi apud Latinos*, in eius opusculis, Lipsiae 1836, p. 81—109; p. 212—236.

Ellendt, *De formis enuntiatorum condition. linguae latinae commentatio*.

O. Dressel, *De enuntiatis condicionalibus apud Latinos*, Göttingen 1832.

Kiessling, *De enuntiatis hypoth. in lingua gr. et lat. commentatio*, Zeitz 1836.

Hüppé, *Commentatio de Latinorum imperfecto et plusquamperfecto in sententiis condicionalibus*, Koesfeld 1834.

A. Bergaigne, *De Coniunctivi et optativi in indoeuropeicis linguis informatione et vi antiquissima*.

* K. Brugmann — B. Delbrück, *Grundriss der vergleich. Grammatik der idg. Sprachen*, Strassburg 1886—900, III—IV.

Delbrück-Windisch, *Syntaktische Forschungen*, Halle 1871—1889, I. et V.

Vergili *Bucolica*, *Georgica*, *Aeneida* adhibui in editione Ladewig-Schaper, Berolini, 1883; *Culicen*, *Cirin*, *Copam*, *Moretum* in editione (I. Sillig) Ch. G. Heyne, Lipsiae 1832. *Aetnam* non respexi.

Notae, quibus in textu usus sum: E = Eclogen I.; G = Georgicon I.; A = Aeneis; Cu. = Culex; Ci. = Ciris; Co. = Copam; Mo. = Moretum.

Omnis coniunctivi vis in sermone Latino sicuti etiam in omnibus sermonibus indoeuropaeis ad unum antiquissimum exemplar revocari potest, quod rem aliquam non re vera in rerum natura extra nos positam extare, sed tantum animo fingi ostendit. Quam vim recentiores linguae subiectivam appellare solent. Cum enim indicativus modus rem aliquam extraneam certam esse ponit et nobis indicat, quale id sit, quod a subiecto cernatur, nullo subiecti animi motu vel affectu intercedente, coniunctivus non rem ipsam indicat, qualis sit, sed statum animi, qui eam rem mente concipit eaque varie tum affectus est. Nam si dico: eo, tum enuntio, quod facio, rem ipsam, quae fit, verbis investio et alii intelligendam trado; ego vero ipse, meus animus, meae cogitationes, mei sensus et affectus prorsus recedunt neque se ullo modo rei, quam significo, immiscent, et is, qui me audit, de me ipso non cogitat. Sin autem dico: eam, iam non ante oculos alterius id subicio, quod extra me reperio, sed me ipsum ei aperio, quo modo affectus sim, cum de actione eundi cogito; res ipsa autem omnino non est certa; quae demum fieri potest, nunc aut futuro tempore; aut voluntatem meam indico: meire velle; aut incertum aliquem animi statum: eam, nisi aegrotem, — multosque alios animi affectus.

Itaque coniunctivus modus non aliquid verum significat, quod extra nos inveniatur, sed rem aliquam, quae tantum in mente nostra exstat et cum nobis ipsis arcte coniuncta est, rem incertam et dubiam, verum tamen rem, quae fieri potest; sed nos ipsi nescimus, utrum futura sit an non.

Ea coniunctivi significatione nixi facile omnes eius notiones intellexerimus, quas in sermone Latino invenimus. Omnia exemplaria, quae nunc existant, ad illud antiquissimum omnibus exemplaribus commune revocanda sunt. Quam rem investigandam sibi proponit doctrina, quae omnes linguas indoeuropaeas comparat et ab eo statu, quem nunc in omnibus linguis invenit, ad illum pristinum ascendere vult, ex quo posteriores linguae sicuti ex uno stipite rami nascentes infloruerunt et late longeque nunc sub sole patent.

Hic onum occurrit: cum iam initio indicativum cum coniunctivo comparaverimus, ad rem investigandam ultro cogimur, utrum indicativus an coniunctivus tempore prior sit, an fortasse uterque modus uno tempore exstiterit. Res adhuc dubia et incerta est atque in ea diiudicanda viri docti iam huc atque illuc fluctuant. Nova, quae dicitur, secta grammaticorum ad sententiam inclinat, quae omnibus nominum et verborum variis formis, quae nunc in unoquoque sermone habemus, unicum pristinam eandemque omnibus communem formam subcere vult et omnes modos: indicativum, imperativum, coniunctivum ad unum antiquissimum revocare studet; altera vero pars virorum doctorum iam vetustissimis temporibus coniunctivum una cum indicativo exstitisse necesse esse statuit neque illis pristinis hominibus, quorum sermonem historia nobis non servavit, vim intellegendi et de se ipsis cogitandi abnegat, quae vis imprimis coniunctivo modo inhaeret.

Ratiocinatione ipsa decerni res fere non potest; exempla ex historia repetenda erant, — quae nobis desunt; quae sunt, rem incertam esse docent, nam indicativum iam una cum coniunctivo in sermone historico invenimus. Attamen saltem tenuia quaedam vestigia reperimus, quae nos ad sententiam probandam adducunt indicativum priorem fuisse quam coniunctivum. Quae vestigia in enuntiata iungendi ratione, quae parataxis dicitur, consistit. In ea coniunctione per parataxin effecta indicativum invenimus, ubi postea coniunctivus vulgo usurpatur. Dein necesse est etiam statuamus orationem rectam ante obliquam fuisse; denique in multis enuntiatis, in quibus postea — ut in sermone Latino Augusti tempore — coniunctivis est, priore tempore indicativum in usu fuisse ut in indirectis enuntiatis interrogativis multisque aliis inter omnes satis constat.¹⁾

Talia exempla etiam apud Vergilium invenimus. Nos omnia non enotavimus, quia id a re alienum esse putamus, quam nobis nunc tractandam proposuimus. Admonendi causa satis erit haec affere: E. v. 6 s: aspice. ut antrum / silvestris raris sparsit labrusca racemis; ita semper post imperativum indicativus in enuntiatis interrogativis apud Plautum, Terentium ponitur.²⁾ Sed G. III. 250 s: nonne vides, ut tota tremor pertemptet equorum / corpora;

¹⁾ Vide exempla apud Draegerum II. et Holtzium II.

²⁾ Vide Draegerum et Holtzium.

hic iam verbum finitum *vides* arctius cum sequenti enuntiatio interrogativo coniunctum est et propterea coniunctivum modum requirit; sed G. I. 56 s: nonne *vides*, croceos ut Tmolus odores, / India mittit ebur. Alia exempla, in quibus indicativus invenitur, ubi posteriore tempore coniunctivus potius ponitur, sunt haec: E. VIII, 106: nescio, quid est (ad id cf. E. VIII, 43: scio, quid sit); G. I. 50 ss: at prius ignotum ferro quam scindimus aequor, / ventos et varium caeli praediscere morem / cura sit; itaque: *priusquam scindimus* (indicat.), quamquam res exspectata hic significata est, quam Vergilius ipse hoc uno excepto exemplo constanter coniunctivo exprimit, ut G. II. 259 ss: memento / ...ante supinatas aquiloni ostendere glaebas, / quam laetum infodias vitis genus. Dein: G. IV, 149 s; A. I, 576 ss: ne quaere doceri, / quam poenam aut quae forma viros fortunave mersit; VI, 771: quantas ostentant, aspice, vires; sed hic iam post imperativum, qui semper laxe in tali continuatione cum enuntiatio interrogativo coniunctus est et quodam modo in notionem particulae exclamativa abit; sed cf. VI, 779: viden, ut geminae stant vertice cristae?; 855 s.

Haec exempla nos docent a Vergilio indicativum in eiusmodi enuntiatis usurpatum esse, in quibus postea in sermone quidem soluto tantum coniunctivus probatur. Quo propius ad Augusti tempus procedimus, eo saepius et crebrius coniunctivum in enuntiatis secundariis usurpatum invenimus; et inverso ordine: si in vetustissimum tempus recesserimus, necesse est coniunctivi usum rariorem inveniamus et saepius indicativo occuramus, ita ut denique hoc temporis momentum offendamus, quo solum indicativum habuerimus.

Sed hac re nobis persuasum non est coniunctivum omnino ante indicativum non fuisse. Hic tantum pessimum est in enuntiatis secundariis coniunctivum pristino tempore non tam celebrem fuisse quam indicativum. Si iam enuntiata primaria animadverterimus, historia nos deficit et nullis exemplis adiuvamur tantumque conjectura ex ratiocinatione facienda est. At mihi quidem coniunctivus posterior quam indicativus exstitisse videtur, si modo diligentius et subtilius rem deliberavero.

Nam coniunctivus iam animi actionem aliquam prodit, itaque statum, quo homo iam de se ipso deliberare cooperat, quo iam psius animus sicuti res aliqua extranea observatus et deliberatus



erat, quo homo id, quod facit, ipse indicat et in animum suum inspicit et affectus suos cognoscere studet. Et talem hominem posteriorem in processu temporis statuerim, quam eum, qui rerum naturam placido et nondum commoto onimo aspiciat et id, quod videat, nullo suo affectu comitante, alteri enarret. Idque conveniret omnino cum processu omnium rerum, quas hominis animus creat; nam, ut historia nos docet, homo semper ad rerum naturam subjective quod dicitur magis atque magis procedit itaque perfectiores res creat, quia sui ipsius magis conscius est. Quo ulterius nos in praeterita tempora transferimus, eo rudiores homines eorumque modum vivendi magis cum natura convenientem offendimus.

Quid? Si etiam nunc homines, qui cum primum nati sunt ifantes deinde in prima pueritia loqui discunt, non *velim* sed *volo* potius dicunt.

Itaque ausim statuere coniunctivum post indicativum existisse.

Quo modo notio unius modi cum alterius notione misceatur in eiusque provinciam ingrediatur, id iam paululum perstrinximus et infra uberior in singulis partibus nostri libelli explicabimus.

Propositum autem nobis est de coniunctivi modi apud Vergilium natura usque tractare. Scilicet Vergili opera non sufficiunt, ut eas res, quas initio attigimus, distincte et argute exponamus, neque nos temere tam grave et grande opus suscipimus; at nobis satis erit, si omnia enuntiata, in quibus coniunctivus invenitur, ex Vergili operibus, enotaverimus et in ordinem digesserimus. Tum in singulis exemplis enumerandis, quod opus erit, admonebimus et universae rei explicandae pro viribus, quantum possimus, inservire studebimus.

Vergili operibus adnumeravimus etiam Culicem, Cirin, Copam, Moretum.

Totam disputationem divisimus in partes duas generales: in priore tractabimus de coniunctivo, qui absolute i. e. per se ipsum exstat sive de coniunctivo in enuntiatis primaris posito; in altera parte de coniunctivo, qui in enuntiatis secundariis invenitur neque per se ipse, cum nomini ullo aut enuntiati primarii verbo non cohaereat, cogitari potest. Nunc tantum monebimus, coniunctivum semper unum esse, ut iam supra dicimus, et, sicuti omnes notiones eius in enuntiatis primariis ad unam pristinam revocare possumus, ita etiam coniunctivum in enuntiatis secundariis semper

ad coniunctivum in enuntiatis primariis i. e. ad coniunctivum absolute positum referre possumus. Quod iam in singulis partibus explicandis faciemus.

In unaquaque parte nostrae disputationis tam multa exempla protulimus, quam multa ad rem illustrandam necessaria erant; deinde etiam ea, quae singulare aliquid continent et propriam interpretationem exigunt; ceterorum, cum nihil novi afferant, tantum locos e Vergili textu enotavimus.

A.

De coniunctivo in enuntiatis primariis i. e. absolute usurpato.

Hic duo genera imprimis distinguimus: unum genus est id, in quo affirmativa vis coniunctivi praevalet et indicat, aliquid fieri posse vel incertum esse, utrum aliquid fieri possit an non: quem coniunctivum 1. *potentiale* et 2. *dubitativum* vel *deliberativum* dicimus. Utique coniunctivo commune est, quod in eisdem temporibus usurpantur et eandem negationem *non* prae se ferunt. In altero genere notio *voluntativa*, quae Graeci *óptativi* modi propria est, praevalet et fortasse etiam veteris *iniunctivi* modi (*ne lexeris*) notionem prae se fert. In quo genere discernimus iterum: 3. coniunctivum qui *proprie optativus* appellatur; 4. coniunctivum *iussivum*; 5. *conhortativum*; 6. *concessivum*. Omnibus his formis alterius generis communis est negatio *ne*; tempus varium est.

Ea re elucet coniunctivum Latinum etiam muneribus Graeci *óptativi* fungi et pristina vis eius coniunctivo potentiali vel *deliberativo* inesse videtur.

Ad haec sex Latini coniunctivi genera, quae supra memoravimus, accedit etiam 7. coniunctivus, qui modi *irrealis* munere fungitur.

1.

De coniunctivo *potentiali*.

Tempora, quae huius coniunctivi propriæ sunt, sunt haec: Praesens, Perfectum, Imperfectum, rarissime Plusquamperfectum. Praesens et Perfectum significant aliquid eo tempore, quo subiectum.

loquitur, fieri posse; Imperfectum in universum praeteritam actionem notat.

a) De coniunctivo pot. affirmativo. Praesens: 1. sg. A. III, 368: *quidve sequens tantos possim superare labores?* His verbis Aeneas Helenum vatem interrogat, quo modo pericula evitare possit, quae ei in erroribus obeunda erant. Hic necesse est coniunctivum potentiale statuas, non dubitativum, quia Aeneas apud se non considerat, quo modo tantos labores evitare aut superare possit, — nam omnino nescit, cuius modi hi labores futuri sint: superarine possint an non; id in eius potestate positum non est; scit autem Aeneas certe se eos superaturum, dummodo sibi Helenus edicere velit, quo modo id fieri possit. Omnis huius coniunctivi vis non ad subiectum i. e. ad Aenan refertur; Aeneae hic nihil deliberandum est; sed nititur ratione in rerum convenientia posita: quam rationem obiectivam vocemus necesse est; in eisque rebus extraneis ratio quaerenda est, fierine possit id, quod Aeneas desiderat, an non; multumque abest, ut Aeneas in dubio sit, utrum possit superare labores an non. Qui coniunctivus coniunctus est cum indicativo eadem significacione; nam in antecedenti versu legimus: *quae prima pericula vi to?* Sed hic indicativus etiam ad notionem coniunctivi dubitativi inclinare videtur. IV, 24: *sed mihi vel tellus, optem, prius ima dehiscat.* Etiam hic coniunctivum potentiale statuo non optativum, nam *optare* non possum, ut *optem*: id enim nobis semper concessum est. IV, 18; VI, 627; IX, 212: *te superesse velim;* XI, 169: *quin ego non alio digner te funere;* negatio refertur non ad verbum, sed aliam vocem, ita ut verbum ipsum affirmativum maneat; propterea hoc exemplum hic posuimus. Ci. 305: *sint haec vera velim.* Hic *velim* dictum est pro *volo*, ne voluntas eius, qui dicit, sua vi eum, qui audit, offendat; itaque dictum est cum lepori quodam et urbanitate.

2. sg. G. I, 386 s: *nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas / et studio incassum videas gestire lavandi;* II, 228: *forsitan et scrobitus quae sint fastigia quaeras.* Hic est coniunctivus positus post *forsitan*. Vox *forsitan* composita est ex: *fors* sit *an*, itaque suo iure indirectum enuntiatum interrogativum et tempus primarium poscit. Sed postea in adverbii notionen abiit et non solum cum indicativo sed etiam cum temporibus secundariis coniungitur: A. I, 203: *forsan et haec olim meminisse iuvabit;* IV, 19: *huic uni forsan potui succumbere culpae;* et cum

coniunctivo imperfecti : G. IV, 118 s: *forsitan... / canerem* aut A. VI, 537. — E. VII, 55 s: *at si formosus Alexis / montibus his abeat, videas et flumina sicca*; A. II, 506; IV, 401: *migrantes cernas totaque ex urbe ruentes*; hic positum est *cernas pro cerneres*. Nam poëta de praeterita actione narrat; sed in hac narratione sive potius in hac re, quam enarrat, ita est occupatus, ut eam tempore, quo narrat, agi videat; totum se in praeteritum tempus transfert et quasi oculis suis omnia spectat, quae nobis tantum verbis refert. Hunc narrandi modum Vergilius saepius adhibet, qua re fit, ut narratio vigoris plena sit et omnia vividis coloribus depingantur. Quem modum fingendi re praesentationem nominabimus. VIII, 601 s: *alta petunt, pelago credas innare revolsas / Cycladas aut montis concurrere montibus altos*; quam representationen iam hic habemus; eo loco poëta Aeneae clipeum describit et dum singula in clipeo caelata opera enumerauit, recte eum, qui legit, admonet: *aspiceres* (v. 650), *videres* (676), quia res ad praeteritum tempus refertur; in eo loco, quo *credas* habemus, comparationem facit; in comparatione autem representatione necessaria est, ut sensus nostri vividius afficiantur; XII, 947 s: *tune hinc spoliis induite meorum / eripiare mihi ? Ci. 333: quid enim non unica possis ?*

3. sg. E. II, 57; IV, 59; VII, 68; G. II, 53 s; 105 s: *quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem / discere quam multae Zephyro turbulentur harenæ*; III, 474; A. II, 104: *hoc Ithacus velit*; V, 326; 788: Venus apud Neptunum queritur Iunonem severe Trojanos persequi et talia addit: *causas tanti sciatis illa furoris*; quod per ironiam quandam dicit: non coniunctivus iussivus certe statui non potest; VI, 294; X, 85: *Aeneas ignarus abest: ignarus et absit*; sensus eius loci hic est: Iuppiter dicit Iunoni: quereris Aenean abesse; sed hoc prorsus nihil ad rem pertinet; ille potest abesse neque tibi id curandum est; Cu. 192.— Huc referendae sunt etiam incertae interrogationes: E. II, 68: *quis enim modus odsit amori ?* V, 53; X, 3; G. I, 464: *solem quis dicere falsum audeat ?* II, 488; IV, 241; A. I, 565: *quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem ?* II, 8; 361 s; 390: *dolus an virtus, quis in hoste requirat ?* IV, 107 s; 283 s; 296 s; V, 28; VI, 841; IX, 67 ss; 96 s; 399; 400; 401; X, 19; 675; XII, 486; 500 s; 883; Cu. 78 ss: *quis magis optato queat esse beatior aevo, / quam qui mente procul dura sensuque probando / non avidas opes, nec tristia bella ;* 302; 187.

3. plur. A. VII, 557 s: *te super aetherias errare licentius auras / haud pater ille velit, summi regnator Olympi*; I, 59; II, 104; E. VI, 58 (hic coniunctivus coniunctus est cum adverbio *forsitan*); X, 33; A. IX, 95 s; XI, 912; interrogatio incerta: E. III, 16: *quid domini faciant, audent cum talia fures?*

Perfectum. Qua re coniunctivus potentialis perfecti a coniunctivo potentiali praesentis differat, incertum est. Fortasse mollius, lenius, urbanius is qui dicit sententiam suam per tempus perfectum exprimit ita, ut res etiam plus dubia significetur quam quae praesenti notatur.

1. sg. E. III, 32: *de grege non ausim quicquam deponere tecum*; G. II, 101 s; 288: *ausim vel tenui vitem commitere sulco*; A. X, 185 s.

3. sg. A. II, 77: *fuerit quodcumque*; Ci. 455; interrogations dubitativa: A. II, 600; IX, 785: *ediderit?... miserit.*

3. Plur. A. II, 600: *iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis.*

Imperfectum. Huc referenda sunt enuntiata, quae hypothesis in periodis condicionalibus efficiunt; nam modus irrealis in tali hypothesi nihil aliud est nisi coniunctivus potentialis praeteriti temporis, qui suam vim potentiale, si cum modo irreali in prothasi extante conferatur, amittit et ipse modum irrealem reddit, quia significatione eius rei praeoccupatus est, quae veritati prorsus repugnat. Sed ea omnia exempla in ea parte proferemus, in qua de enuntiatis condicionalibus tractabimus; nam ibi necessaria sunt, ut coherentiam, quae inter hypothesis et prothasis exstat, intellegamus; quapropter illa exempla hoc loco omittimus et tantum ea enuntiata primaria afferemus, quae merum coniunctivum potentialem praeteriti cohibent.

In 1. persona singularis praeter G. II, 118 s: *forsitan et... / .. canerem, tantum vellem* (A. XI, 111; 303; 584; Ci. 152) et *possem* (A. XII, 880: *possem tantos finire labores*) habemus. Sed forma *possem* hic potius modum irrealem significat.

2. sg. E. VI, 27: *tum vero in numerum Faunosque ferasque videres / ludere*; A. II, 54 s: *et si fata deum, si mens non laeva fuisse, / ... Troiaque nunc staret, Priamique arx alta maneres*; VIII, 649 s; 676 s; Ci. 299; hic item potius modus irrealis praesentis statuendus est.

3. sg. G. I. 321 s: *ita turbine nigro / ferret hiemps culmumque levem stipulasque volantes* (modus irrealis); Ci. 226:

nec levis hoc faceret... cura; in dubitativis interrogationibus : E. IX, 19 s: Moeris enarrat Lycidae, non multum afuisse, quin Menalcas interiret, et ita dicere pergit: quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis / spargeret aut viridi fontes induceret umbra? Hic aeque ac supra modum irrealem praesentis temporis statuere possumus; imperfectum hoc loco positum non tam ad praeteritum tempus refertur, quam potius id tempus significat, quo Lycidas loquitur: etiam eo tempore nullus pastor esset qui Nymphas caneret; itaque prothasin e v. 16: si non viveret ipse Menalcas suppleverim; G. IV. 504 s: (de Orpheo narratur, qui amissa iterum coniuge desperabat): quid faceret? quo se rapta bis coniuge ferret? A. III, 186 s; XII, 798; Ci. 436: omnia vincit amor: quid enim non vinceret ille? — coniunctivus potentiatis munere modi irrealis fungitur, quia non tam de actione praeterita agitur, quam communis regula statuitur, quae omnibus temporibus valet.

3. plur. A. VI, 436 s (*vellent*); 537: *et fors omne datum traherent per talia tempus*; XII, 899 s: *vix illud lecti bis sex cervice subirent, / qualia nunc hominum producit corpora tellus*.

Plusquamperfectum. 3. plur. A. V, 232: *fors acqualis cepissent praemia rostris*; sed hic vis potentialis tantum voce *fors* expressa est, nam verbum ipsum modo irreali exprimitur et hypothesis enuntiati conditionalis explet.

b). De coniunctivo potent. negativo. Negatio est *non*.

Praesens. 1. sg. Ci. 229: *nec dicam*;

3. sg. G. I, 37; 53 s; 315; A. VII, 703;

Ci. 140: *non ulli liceat* (sed hic locus non satis clarus est).

Perfectum. 1. sg. G. II, 336 ss: *non crediderim*; A. XI, 164: *nec vos arguerim Teucri*.

3. sg. G. III, 139 ss: *exactis gravidae cum mensibus errant, / non illas gravibus quisquam iuga ducere plaustris, / non saltu superare viam sit passus*; hic coni. pot. non optat. statuo.

Imperfectum. 3 sg: in incerta interrogatione: E. III, 21: *an mihi cantando victus non redderet ille?*

2.

D e c o n i u n c t i v o d u b i t a t i v o .

Coniunctivus dubitativus arcte cum coniunctivo potentiali cohaeret neque Kühnero (§. 47, 2. b) assentior, qui huic coniunctivo vim optativam vel potius adhortativam inhaerere putat. Exempla, quae e Vergilio repetivi. monuerunt me. ut hunc coniunctivum coniunctivo potentiali subiungerem, imprimis ea de causa, quod saepius pro coniunctivo dubitativo indicativum futuri aut praesentis offendit, ut A. IV, 535; 537; 543; 545; 546; X, 671; XI, 389: *imus in adversos?* — et saepius. Negatio non multum me docuit, quia tantum duo exempla cum negatione inveni: A. XII, 644: *dextra nec Drancis dicta refellam* (Praesens, 1. sg.) et E. VIII, 26: *quid non speremus amantes* (Praesens, 1 plur.). Itaque in utroque enuntiato negationem *non* habemus. Ceterum haec sunt exempla, in quibus coniunctivus dubitativus exstat:

Praesens 1. sg. E. V. 81: *quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?*; VI, 74: *quid loquar?* G. I, 104: *quid dicam?* 311; II, 95; 118 s; 158 s; 161; 434; III, 340; A. I, 327: *o, quam te memorem, virgo?* III, 39: *eloquar an sileam?* IV, 43; 371; 535; 677; V, 850; VI, 123; 601; VII, 311; VIII, 483; IX, 252 s; 391; X, 36; XI, 125; 126; 264; 508 s; XII, 570; 643 s; 873; Ci. 264.

Imperfectum 1. sg. E. I, 40: *quid facerem?* VII, 14.

3.

D e c o n i u n c t i v o o p t a t i v o .

Coniunctivus praesentis et perfecti ad praesens tempus referitur et significat rem optatam; qua in re non discernitur, utrum vere fieri possit an non; coniunctivus imperfecti et plusquamperfecti notat rem aliquam optatam, quae aut nunc (imperf.) fieri non potest aut olim (plsqupf.) fieri non poterat.

a) D e C o n i . o p t a t . a f f i r m a t i v o .

Praesens 1. sg. E. VII, 41; G. II, 486: *flumina amem silvasque inglorius;* A. IV, 683 s: *date, volnera lymphis / ablum et extremus si quis super halitus errat, / ore legam;* sed hic etiam enuntiatum exspectati exitus statuere possumus, in quo particula *ut* omissa est, ita ut duo coordinata enuntiata habeamus; X, 50; instructus particula *ut*: A. X, 631; Ci 227: *quod ut o potius fallar.*

2. sg. A. I, 330 s; 731 ss; IV, 578 s; VI, 109: *doceas iter et sacra ostia pandas*; VIII, 78: *adsis o tantum et proprius tua numina firmes*; X, 254 s; Ci. 330: *atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, penates*; cum particula modo: A. II, 160; cum interiectione *o*: E. V, 65: *sis bonus o felisque tuis*; cum partic. ut: A. X, 632.

3. sg. Hic non semper facile diiudicari potest, utrum coniunctivum optativum an iussivum habeamus: scilicet in coniunctivo iussivo maior vis voluntatis inest eius, qui loquitur; sed multis locis id non clare elucet ut E. III, 50: *audiat haec tantum — vel qui venit, ecce, Palaemon*; si Menalcas (is enim loquitur) tantum suam voluntatem indicare vult, — coni. optativum habemus; sin autem his verbis Palaemonem adhortatur, ut audiat, — coniunctivum iussivum statuas necesse est. Sinceri coniunctivi optativi vis clare appetit in enuntiatis, quae impersonalia dicuntur.— E. III, 88; 89; VIII, 52—55 (hic est 3. persona singularis mixta in vicem cum 3. pers. plur.); 88; 105; A. I, 551; 734; IV, 617s; 620; 661 s; V, 60; 350; VI, 108 s; 266 s; IX, 92; 282 s; *tantum fortuna secunda / haud adversa cadat*; X, 46 s; 462; 617; 875; XII, 41; fors (substantivum!) *dicta refutet!* Cu. 38; Ci. 89; Co. 34: *pereat, cui sunt prisca supercilia*; 37; cum particula modo: E. IX, 27; A. III, 116; Ci. 12; sed talia enuntiata cum particula modo etiam pro prothasi enuntiati condicionalis haberi possunt; cum interiectione *o*: E. II, 28 s: *o tantum libeat mecum tibi sordida rura / atque humiles habitare casas et figere cervos*; IV, 53; A. VIII, 579; Ci. 409; particula *si*: A. VI, 187 s; 882; VIII, 560: *o mihi praeteritos referat si Iuppiter annos; utinam*: A. I, 575 s; Ci. 10.

3. plur. E. II, 62: *nobis placeant ante omnia silvae*; III, 89; VIII, 53; 54; 58; IX, 30 s; X, 48; G. I, 221 s; II, 475 ss: *me vero primum dulces ante omnia Musae / ..accipiant caelique vias et sidera monstrant*; 485; A. I, 605; I, 190: *quod di prius omen in ipsum convertant*; 536 ss; III, 486 s; IV, 24: *sed mihi vel tellus, optem, prius ima dehiscat — (nisi hic enuntiatum substantivale e voce optem suspensum statuimus)*; 629; VII, 259: *di nostra incepta secundent*; VIII, 484; IX, 208 s: *ita me referat tibi magnus ovantem / Iuppiter (obtestatio)*; X, 463; 774; XII, 188; 200; Cu. 370; cum interiectione *o*: E. X, 33: *o mihi tum quam molliter ossa quiscant!*

Perfectum. 3. sg. A. VI, 62: *hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta;*

3. plur. E. IV, 61.

Imperfectum. 1. sg. E. X, 43: *hic ipso tecum coussumerer aevo;* A. X, 443: *cuperem ipse parens spectator adesset;* XI, 111: *eqidem et vivis concedere vellem;* sed hic etiam coni. potent. praeteriti temporis esse potest.

2. sg. cum partic. *ut:* A. XI, 153: *cautius ut saevo velles te credere Marti;*

3 sg. A. XI, 163: *atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret;* cum interiectione *o:* A. XI, 415;

3. plur. A. XI, 161 ss: *Troum socia arma secutum / obruerent Rutuli telis;* optata res refertur ad tempus praeteritum; imperfectum positum est repraesentationis causa (ut supra in textu v. 153); inferius iam coni. plusquamperfecti habemus: *animam ipse dedissem.*

Plusquamperfectum. 1. sg. A. X, 854: *omnis per mortis animam sontem ipse dedissem;* XI, 162; cum partic. *utinam:* E. X, 35; A. II, 110.

2 sg. Ci. 446: *at belli saltem captivam lege necasses!* 3 sg. cum particula *utinam:* A. III, 615.

b) De coni. optat. negativo.

Negatio est *ne;* itaque pro *et ne* ponitur *neve* vel *neu.*

Praesens. 1. sg. A. IX, 216: *neu matri miserae tanti sim causa doloris.* 3. sg. E. VII, 73: *ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo;* X, 49: *a, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas;* G. I. 79 s: *arida tantum / ne saturare fimo pingui pudeat sola neve / effetos cinerem immundum... / iactare per agros;* II, 252 s.

Perfectum. 3. sg. Ci. 236: *hei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus.*

Plusquamperfectum. 2 sg. Ci. 296 s: *utinam... ne esses... sectata;* 3. sg. Ci. 149 s: *quod uti ne prodita ludo / auras gracili solvisset corpore pallam.*

Sed unum exemplum negationem *non* (in obtestatione) habet: E. X, 4 s: *sic tibi... / Doris amara suam non intermisceat undam.* Negatio *non* hic propterea posita est, quod *non intermisceat* idem valet atque *neget.*

Si coniunctivus optativus non ipse per se constat et tantum alii affirmativa sententiae explendae et definiendae inservit, ita ut

in ipso perparva vis, contra in negatione magna insit, negatio *non usurpatur*. Quae altera negativa pars semper ita comparata est, ut tantum uberioris et copiosioris dictionis causa a homine loquente addita esse videatur. Nexus autem cum antecedenti sententia affirmativa laxus est; altera sententia semper novi aliquid et insperati ex inopinato in totam dictionem infert, cum iam prima dictionis pars finita est. Exempla tantum in 3. s g. exstant: E. II, 34: *nec te poeniteat calamo trivisse labellum*; VIII, 88; IX, 5 s: *nunc victi, tristes... / hos illi — quod nec vertat bene — mittimus haedos*; X, 16 s: *stant et oves circum, — nostri nec poenitet illas, nec te poeniteat pecoris, divine poëta*; X, 46; A. I, 548 s; IV, 619 s; XI, 354; 413 s.

4.

De coniunctivo hortativo.

Optamus, ut res aliqua fiat, itaque nos ipsos monemus, ut id faciamus. Quapropter tantum in 1. pers. sing. aut plur. exstat.

Apud Vergilium coniunctivus tantum in 1. plur. invenitur et semper vim affirmativam habet: E. IX, 61: *hic, Moeri, canamus; cantantes licet usque eamus* (*licet* non ad coniunctivum sed ad particulam refertur); 64; 67; *desine plura, puer, et, quod nunc instat, agamus*; X, 6; 69; 75; G. III, 40; 324 s; IV, 381; A. I, 557; II, 353; 388; 389 s; III, 114; 115; 188; IV, 102; 660; V, 22 s; 58; 59; 419; 709; VI, 630; VII, 132; IX, 220; 355; X, 282; XI, 22 s; 321; 326; 329; 358; 372 s; 414; XII, 79; 625; 629; 677; Cu. 40; Ci. 54.

5.

De coniunctivo iussivo.

Similis est, quod ad significationem pertinet, antecedenti coniunctivo, nam aliis imperamus, ut aliquid peragant; non solum vis voluntativa, ut in coniunctivo optativo, sed etiam eius vis appareat: instamus, ut peragatur aliqua res aut peracta sit.

a) De coni. iuss. affirmativo.

Praesens. 2. sg. A. VI, 406 s; *et ramum hunc.. / adgnoscas*; X, 876; XI, 354; XII, 664; E. III, 54; G. I, 17; 3. s g. E. III, 90: *Qui Bavium non odit, amet tua carmina Maevi*; sed hic etiam coniunctivus potentialis statui potest; II, 61; III, 91; VI, 72; G. I, 45 s; 52; 66; 343; 345; 347; III, 42; 51; 172 s;

188; 191 ss; 395; IV, 32; 111; 113; 114; 115; A. I, 140 s; II, 76; III, 457; 505; IV, 29; 103; 237; 429 s; V, 163; 364; VII, 265; 340; 432 ss; VIII, 516 s; IX, 213 s; 278; 653; X, 48 s; 52 s; XI, 26 s; 129; 321; 346; 359; 409; 466; 467; 592; XII, 17; 80; 826; Cu. 228; 229; Ci. 434; 2. plur. E. III, 83: *partem aliquam, venti, divom referatis ad auris*; 3. plur. G. I, 64 s: *pingue solum primis extemplo a mensibus anni / fortis invertant tauri*; 347; 443; II, 284; III, 170 s; 385; IV, 13; 19; 20; 32; 35; 109; A. III, 409; 412; V, 70, 164; 195; VII, 317; 555; VIII, 540; X, 32; 43; 296; XI, 292; 323; 329; XII, 15; 78 s; 190 s; 826; Cu. 3; Ci. 89.

Imperfectum. 2 sg. A. VIII, 643: *at tu dictis, Albane, maneres!* 3. sg. A. II, 248 s: *quibus ultimus esset / ille dies*.

Plusquam perfectum. 2. sg. A. IV, 678, *eadem me ad fata vocasses*.

b) De coni. iuss, negativo.

Negatio est *ne*; sin autem antecedenti affirmativa sententiae adiungitur, voce *neve*, *neu* effertur aut etiam plurimis locis voce *neque*, *nec*.

Praesens. 2. sg. E. III, 29: *ne forte recuses*; A. XII, 823 s: *ne... iubeas*; sed totum hoc enuntiatum etiam e verbo *obtestor* (v. 820) pendere potest et, si id statuerimus, enuntiatum, quod exspectatum exitum significat, habebimus; 3. sg. G. II, 277 s: *indulge ordinibus nec setius omnis in unguem / arboribus positis secto via limite quadret*; III, 56 (*nec*); 436; A. VII, 265; VIII, 582 s; XII, 78: *non Teucros agat in Rutulos*; hic particula *non* est posita non *ne*, quia *Teucri* et *Rutuli* vocibus: *nostro sauguine* sequentis enuntiati opponuntur, ita ut negatio verbum omnino non attingat; 801 ss: *nec te tantus edat tacitam dolor et mihi curae saepe... recurrent*; vis negationis tam efficax est, ut etiam in alteram partem extendatur, quae propterea coniunctione *et cum* priore coniuncta est. 3. plur. G. II, 36 s: *fructusque feros mollita colendo, / neu segnes iaceant terrae*; 136 (*neque*); 298; A. IX, 150 s; 234 s.

Perfectum. 2. sg. E. VIII, 101: *trans caput iace, nec respexeris*; A. X, 32 s: *luant peccata neque illos / iuveris auxilio*; 3. sg. G. III, 404: *nec tibi cura canum fuerit postrema*; quod ad coniunctivum fuerit attinet, animadvertisendum est, Vergilium perfectio *fui* notionem praesentis temporis uti, imprimis in eius modi enuntiatis, quae rem aliquam optatam, exspectatam

exprimant; ita: A. III, 453; 499; VIII, 206; IX, 41. 3. plur.
A. III, 453: *hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti.*

6.

D e c o n i u n c t i v o c o n c e s s i v o .

Coniunctivus concessivus ab homine loquente aliquid sumi concedi, probari significat et eam vim involvit, ut concedi aliquid, quod non est necessarium, denotet. Omnino apud Vergilium tria exempla exstant: A. IV, 603: *fuisset* (plusqupf. !); IX, 149 s: *addant se protinus omnes / Etrusci socios*; Cu. 228: *poena sit exitium* (fortasse coni. iussiv.?).

In numero coniunctivorum in enuntiatis primariis usurpatorum etiam

7.

M o d u m i r r e a l e m

posui. Sed hic modus arcte cum enuntiatis conditionalibus cohaeret neque se ab iis divelli patitur. Propterea de hac re in ea parte, qua enuntiata conditionalia tractantur, copiosius disputabo.

B.

D e c o n i u n c t i v o i n e n u n t i a t i s s e c u n d a r i i s p o s i t o .

Coniunctivus in enuntiatis secundariis semper ad genus aliquod coniunctivi in enuntiato primario positi revocari potest. Sed saepe pristina vis coniunctivi in enuntiatis secundariis obscurata est; coniunctivus significat hic non solum rem aliquam tantum animo fictam et incertam, sed potius secundariae sententiae priori principali enuntiato subiungendae inservit. In lingua Latina sicuti nunc etiam in lingua Germanica lex quaedam, ut ita dicam, praevalet, quae in continuatione sententiarum semper unam primariam exigit, cui ceteras subicit. In lingua Graeca (sicuti etiam in nostris Slavicis linguis) magna libertas inest; unaquaeque sententia ipsa per se constat, nexus grammaticus laxus et liber est; loquenti homini libertas conceditur, ut suam sententiam exprimat, quo modo ipse velit neque animus eius variis formis grammaticis

obstringitur: scilicet est lingua ad fingendas res, ad poësin aptior quam Latina. In lingua Graeca libertas hominis loquentis primum locum tenet, in Latina voluntas universae gentis, quae voluntatem unius hominis frangit eumque maioribus rebus inservire cogit. Neque nobis alienum a re esse videtur, si monebimus crescente imperio populi Romani etiam in lingua imperium illud magis atque magis apparere. Modus iungendi enuntiata per coordinacionem quae dicitur magis atque magis rarescit crebriorque hypotaxis admittitur: quapropter coniunctivus in enuntiatis secundariis saepius exigitur. Atque nobis exempla, quae e Vergili operibus repetivimus, rationem atque viam illustrare videntur, qua lingua a parataxi ad hypotaxin processerit. De hac re nobis necessarium est hoc loco monere, quia in dubio sumus, utrum coniunctivus, qui in eius modi exemplis invenitur, pro coniunctivo, qui in enuntiato primario ponitur et ipse per se constat, haberi debeat ita, ut verbum prioris enuntiati primariai notionem adverbii excipiat (cf. *forsitan*, pag. 12 s.), an pro coniunctivo, qui in enuntiato secundario exstet et semper e sententia primaria suspensus sit. Qui transgressus imprimis in enuntiatis substantivalibus exspectati exitus sive finalibus quae dicuntur enuntiatis et interrogativis perspicuus est, ut. A. VI, 883 ss: *manibus, date, lilia plenis, / purpureos spargam flores animamque nepotis / his saltem adcumulem donis et fungar inani / munere*; aut A. IV, 24: *sed mihi vel tellus, optem, prius ima dehiscat*. Creber talis usus est post verba, quae statum aliquem animi significant, ut: *oro, rogo, cupio, permitto, concedo, sino, similia*: A. X, 443: *cuperem ipse parens spectator adesset*; hic enuntiatum substantivale e verbo *cuperem* suspensum statuere possumus, in quo coniunctio *ut* omissa, sive potius — ne via historica interpretandae rei, quam semel ingressi sumus, recedamus, — cui igitur coniunctio *ut* nondum addita erat, aut etiam coniunctivum huius enuntiati substantivalis optativum probare possumus, qui rem aliquam fieri non posse significat. Vel: A. VI, 678 s: *eadem me ad fata vocasses: / idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset*; prius enuntiatum coniunctivum optativum praeteriti temporis exhibit; sed etiam pro prothasi haberi potest: *si eadem me ad fata vocasses*, — hypothesis esset tum: *idem dolor tulisset*. Plura huius modi exempla cum coniunctivo optat. sunt: A. IV, 683 s; V, 718; 796 s; 31; VI, 76; VIII, 506 s: *cum sceptro misit mandatque insignia Tarchan, / succedam castris Tyrrhenaque regna capessam*; hic vel

orationem obliquam statuas vel enuntiatum finale ponas: quovis modo rem explicaveris, duo enuntiata per coordinationem coniuncta esse fateri necesse est; IX, 95 s; 154 s; X, 53 s; 258 ss; 461; 524 s; XI, 293; 387; 442; 512 s: *equitum levia improbus arma / praemisit, quaterent campos (!)*; 584; XII, 48 s; 438 s; 452 ss; 828; Ci. 151 s; E. IX, 43; G. IV, 90; A. II, 669 s; III, 129 s; 234; IV, 635 ss; V, 163; 716 s; G. III, 40 s; A. I, 643 ss; III, 34 ss; V, 550 s; VII, 546.

Qui usus Vergilianus comoediae Latinae nos commonefacit, in qua parataxis saepissime nobis occurrit; cf. *fac, abeas* et similia apud Plautum.

Cum itaque modus iungendi enuntiata per hypotaxin tritus atque vulgatus erat, tum etiam coniunctivi usus in enuntiatis secunderiis crebrior factus est. Iam initio disputationis nostrae diximus, in enuntiatis interrogativis in prisca latinitate praecipue post imperativos modos indicativum usurpari. Postea autem, Augusti temporibus, tantum coniunctivus in his enuntiatis probatur. Idque factum est in multis aliis enuntiatis secundariis; de qua re plura dicemus, cum singula explicabimus.

1.

De enuntiatis substantivalibus, adiectivalibus, adverbialibus effecti exitus sive enuntiatis consecutivis, quae dicuntur.

Haec enuntiata particula *ut* instruuntur. Antiquissima huius particulae vis modalis, comparativa est, quae vis etiam in his enuntiatis permanet. Nam si dico: *sol efficit, ut omnia florent*, vim solis cum rebus extra ipsum positis comparo.

Coniunctivus in his enuntiatis positus ad coniunctivum optatum revocandus est.

Praesens. E. III, 67 s; VII, 25 s: *pastores, hedera crescentem ornate poëtam, / Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro*. Hic quispiam vim finalem statuere velit; sed consecutiva mihi praevalere videtur, nam Thyrsis pastores monet, ut crescentem poëtam quam pulcherrime possint hedera ornent, et tum se eorum opera gavisurum esse ostendit, cum Codri invidia rupta ilia viderit. Sin autem vim finalem statuerimus, Thyrsi cupiditatem quandam ilia rupta videndi attribuemus, qua re tota sententia durior et asperior fieret, — quae vis ab hoc loco aliena est. Nam

non est Thyrsi curae, ut ilia Codri rupta videat, sed ut crescens poëta pulchre ornetur; VIII, 9 s; A. VI, 552 ss; XI, 437; Ci. 242; 293. — Exitus effectus in enuntiatis relativis, quibus etiam speciem: *sunt qui sciant ad numero, ne res permultis partitionibus factis nimium distrahatur, exstat in his enuntiatis: E. III, 86 s: pascite taurum, iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam;* IV, 31 ss; X, 2 s, VI, 6 s, G. I, 345 s: *terque novas circum felix eat hostia fruges, / omnis quam chorus et socii comitentur ovantes;* vis .consecutiva est hic ita comparata, ut ad notionem coniunctivi iussivi prope accedat, nam poëta praecepta dat, quibus servatis rustici Ambarvalibus Cererem invocent et precentur; II, 266 s, III, 8 s, 143 ss (enuntiatum exornatur adverbio relativo *ubi*); IV, 9 ss, A. I, 286 s, II, 142 s, 536. III, 461. IV, 479, 488, 536, 626, V, 29, VII, 98 s, 145, 271 s, 258, IX, 205 s, 213 ss, 629, X, 9, 44, 483, XI, 108 s, XII, 627, Cu. 153 s, Ci. 192, 262, 338, Mo. 55. — Enuntiata relativa particula *quin* instructa: G. II, 516 ss, A. III, 453 ss, XI, 354 s.

Perfectum tantum in enuntiatis relativis: G. II, 99 s, A. III, 499. V, 623 s, XI, 688 s: *advenit, qui vestra dies muliebribus armis / verba redarguerit:* sed hic etiam indic. fut. II. esse potest, si id merum enuntiatum relativum statuimus.

Imperfectum. E. IX, 4, A. VI, 533 s: *an quae te fortuna fatigat, ut tristis sine sole domos, loca turbida adires?*; post praesens in enunt. primar. coni. impf. in enunt. secundar.! Fortasse vox *fatigat*, idem valet atque perfectum: *qua fortuna fatigatus es*; tum haberemus perfectum logicum, quod vulgo tempora secundaria in altero enuntiato requirit; VII, 653 s, VIII, 88 s, X, 846 s, Ci. 74 s. 527. — In enuntiatis relativis: E. I, 10: *ipsum / ludere, quae vellem, calamo permisit agresti;* G. I, 260 s: *multa, forent quae mox caelo properanda sereno, / maturare datur;* (in enunt. primar. indic. praes.!) 318 s, II, 350 ss, A. I, 19 s, 234 ss, 367 s, V, 130 s, IX, 6 s, X, 19, 879, XII, 84, Ci. 15, 151; cum particula *quin*: A. X, 614 s.

In duobus enuntiatis, quae formam enuntiatorum relativorum pree se ferunt,

Plusquamperfectum invenitur: E. III, 22 s: *an mihi cantando victus non redderet ille, / quem mea carminibus meruisset fistula caprum;* (an coni. concess?); G. III, 3 s: *cetera, quae vacuas tenuissent carmine mentes, / omnia iam volgata;* quae res propterea fit, quod vis condicionalis intermiscetur.

2.

De enuntiatis exspectati exitus, quae substantivorum, adiectivorum, adverbiorum vi praedita sunt et in universum enuntiata finalia dicuntur.

Coniunctivus in his enuntiatis est coni. optat. Semper res exspectatur, quae etiam optatur. Saepe difficile est dijudicare, utrum enuntiatum primar. cum coniunctivo optativo an enuntiatum finale habeamus, ut iam supra pag. 22 s. memoravimus. Sententiam *rogo te, ut dicas* in duo enuntiata primaria disiungere possumus: 1) *rogo te*; 2) *ut dicas!* i. e. enuntiatum primarium cum coniunctivo optativo particula *ut* instructo. Quam disjunctionem rectam esse docent nos exempla talia ut A. VI, 76: *ipsa canas oro*, de quibus pagg 22 ss. disputavimus.

Scilicet omnia enuntiata finalia negationem *ne* (negationem coniunctivi optativi) exigunt. Etiam in temporum usu enuntiatum finale cum coniunctivo optat. convenit, nam tantum praesens et imperfectum poscit; perfectum et plusquamperfectum usurpari non possunt, quia res exspectata in tempus, quod exspectationi ips antecedat, cadere non potest.

a) De enuntiatis finalibus affirmativis.

Praesens. E. V, 15: *tu deinde iubeto, ut certet Amyntas*; (cf. A. X, 53 s: *magna dicione iubeto / Karthago premat Ausoniam*; vide pag. 22 ss); VIII, 64 ss; IX, 65, G. II, 269 ss, 284 s, 505, 135 ss: *hoc faciunt, nimio ne luxu obtunsior usus / sit...*, *sed rapiat sitiens Venerem interiusque recondat*; hic est *ut* omissum, quod supplendum est ex antecedenti particula *ne*; quod adversativa particula copulativa *sed* effecit; IV, 18 ss, 27, 396 s, 401 ss, A. I, 75, 297 ss, 551 ss, 657 ss, 685 ss, 664 ss, IV, 431, 452, 748 ss, VII, 550 s, VIII, 57 s, 410 ss, X, 807 s, XI, 371, 515 s, 856 s, Cu. 4, 10, 91 s, Ci. 238 s, 289 ss, Mo. 116 s. — Exspectatus exitus in enuntiatis relativis: E. VI, 73, VII, 14 s, G. I, 89 s, A. I, 705 s, III, 377 ss, V, 488 s, VI, 717 s, VII, 348, 388, VIII, 9 s, 547, IX, 161 s, 193, X, 519, 678, 840, XI, 60 ss, 81 s, 330, XII, 52 s, Ci. 203 s.

Imperfectum. E. II, 35, G. I, 133, 195 s, 351, A. in exordio ante I. I., si versus hi a Vergilio profecti sunt; II, 59 ss, 432 s, 651 ss, III, 24 s, IV, 105 s, VI, 115, 481, XI, 160 s, 269 s, 778 s, 796 s, XII, 349 s, 395 ss, 554 ss, 636, 641 ss, 771, 814: *non ut tela tamen, non ut contenderet arcum*; negotio refertur

ad praedicatum enuntiati primarii; 888, Cu. 311 ss, Ci. 183 ss, 316, 364 ss, 487. — En. relativa. E. IX, 47 ss, G. I, 238, II, 354 ss, IV, 359 s, A. I, 62 s, II, 183 s, IV, 328 s, VI, 754 s, VII, 776 ss, Ci. 303, 366 s.

b) De enunt. final. negativis.

Praesens. E. VII, 28 s: *baccare frontem cingite, ne vati noceat mala lingua futuro*; III, 3 s, 29: *ne forte recuses*; hic enuntiatum aliquod primarium, ex quo hoc enuntiatum finale pendeat, ut: *dicam tibi vel simile necesse est suppleas*; 51, IX, 63, G. I, 69 s, 92 s, 111, 180 s, II, 268, 483 ss, III, 70, 126 ss, 135 s, 298, 389, IV, 89, A. I, 673 ss, 681 s, III, 405 ss, 684 ss, IV, 414 s, 680 s, VI, 74 s, VII, 331 ss, VIII, 42 ss, 613, IX, 90 ss, 321 s, X, 240, XI, 18 ss, XII, 146, Cu. 140, Ci. 274 (Ciris Carmen nutricen suam orat): *ut me, si servare potes, nec perdere malis*; usus sane Vergilianus, de quo supra pag. 18 diximus, cum de coniunctivo optativo negativo tractavimus; etiam in hoc exemplo sententia affirmativa antecedit, sequitur alterum enuntiatum negativum, quod priori explendae et definiendae inservit; porro v. 276 legimus: *nec mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem*; in utroque enuntiato finali etiam coniunctivum optativum negativum statuere possumus; quod etiam fortasse probabilius est; nos autem exemplum hic locavimus, coniunctione antecedenti *ut ducti*; 325, Mo. 54 ss.

Imperfectum. A. I, 297 ss: *demittit* (praes. histor.), *ne fati nescia Dido finibus arceret*; 412 s, II, 185 ss, III, 472 s, VI, 353, 694, VII, 21 s, VIII, 209, XI, 43 s, 417 s, Cu. 338 s, (*ne quisquam!*).

Plus quam perfectum (!) A. VIII, 205 ss: (Euander narrat Aeneae, qui ad eum auxilii petendi causa venerat, de furto, quod Cacus in Herculis tauros commiserat, his verbis): *at furiis Caci mens effera, nequid inausum / aut intractatum scelerisye dotive fuisset, / quattuor a stabulis praestanti corpore tauros / avertit, totidem forma superante invencas*. Actio tempore plusquamperfecto expressa exspectata quidem est, sed tantum ex mente Caci; Euander eo tempore, quo loquitur, eam iam finitam videt, itaque iam id, quod factum est, et eventum rei, qui exsistit, enuntiat. Inferius in eadem narratione et de ea ipsa re coniunctivum imperfecti habemus, v. 209: *ne qua forent pedibus vestigia rectis*; quo imperfecto iam res exspectata indicatur, quae etiam futuro tempore, post Caci tempus usque ad tempus Euandri

duratura est; actio ipsa describitur, eventus nondum effectus est.

Enuntiata relativa finalia vim negativam exhibere non possunt, nam non possumus hominem vel rem hoc modo significare, ut indicemus, quid ab iis fieri non debeat.

3.

De enuntiatis adverb. temporalibus.

Coniunctivus in enuntiatis temporalibus ad coni. potentiale revocandus est.

a) De enunt. temporalibus particula cum elatis.

Cum temporale revocabundum est ad stirpen relativam * *quo* — ideur. * *jod* et cum primaria voce iungebatur, ut eam explicaret, ita ut aut causam redderet, cur id fieret, quod praedicato primario expressum esset, aut tempus significaret, vel etiam concessivo sensu notionem antecedentis vocis expleret, similia; quapropter postea in sermone Latino coniunctivum arctioris conexus causa cum sententia primaria poscebat. Sed id non semper ita fiebat; nam si sententiae laxiore nexu erant, indicativus remansit. Quam ob rem post *cum* temporale indicativum et coniunctivum habemus. Si enuntiatum temporale cum primario ita coniunctum est, ut illud non expleat, verum tamen tantam vim teneat, ut etiam in enuntiatum primarium mutari et per coordinationem cum antecedenti enuntiato primario copulari possit, indicativum ponas necesse est, ut A. VIII, 148 s: *postera cum prima lustrabat lampade terras / orta dies, urbem et finis et litora gentis diversi explorant*; potest etiam dici: *urbem et finis et l. g. d. explorant et tum dies... lustrabat terras*. Sin autem in enuntiato primario maior vis inest ita, ut temporale enuntiatum tantum explendi causa additum sit et non solum grammatica sed etiam logica ratione e primario suspensum sit, — coniunctivo opus est: E. VI, 3 s: *cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem / vellit et admonuit*. Poëta dicit se a Cynthio admonitum esse, quia rem agere coepisset, cui vires suae non sufficerent i. e. ut reges caneret. Itaque hic nexus causalis inter enuntiatum primarium et temporale existat. Qui nexus causalis etiam semper in voce *cum* temporali cum coniunctivo redit.

Cum causale et concessivum semper cum coniunctivo iungebatur, semper rem indicabat, quae tantum ex animo loquentis pendebat et arctissimum nexum cum enuntiato primario efficiebat.

Cum temporale cum coniunctivo tantum cum imperfecto et plusquamperfecto invenitur, quia praeteritis rebus enarrandis inservit.

Imperfectum. In enuntiato primario tempus historicum vel perfectum logicum exstat: E. III. 19 s: *et cum clamarem quo nunc se proripit ille? / Tityre, coge pecus*, tu post carecta latebas; V, 88 s, IX, 22, G. I, 147 ss, 316 s, 390 s, IV, 135 s, 525. A. I, 650 ss, II, 112 s, III, 49 ss, 414 ss, 623 ss, 712, IV, 409 s, 453, 461, V, 597, 804 ss, VI, 880 s. VII, 61, 246 s, 427, 494 s, VIII, 213 s, 353, IX, 88 s, 361, X, 567 s, XI, 42, 46 s, 540, Cu. 304, Ci. 74, 234 s, 310, 315, 52.

Cum plusquamperfecto ne unum quidem exemplum inveni.

Sed altera ex parte unum exemplum exstat, in quo *cum* narrativum cum coniunctivo praesentis coniunctum est: E. VIII, 7 s: *en erit unquam / ille dies, mihi cum liceat tua dicere fata?* Sed hic consecutiva quaedam vis inest: *talis dies, quo mihi liceat, = talis dies, ut mihi liceat.* Itaque pristina relativa notio huius particulae etiam in hoc exemplo appareat.

b) De enunt. tempor. cum partic. dum.

Primitiva vis demonstrativa est et rem aliquam indicat, quae futuro tempore fiat, rem futuram demonstrat. Hac notione semper cum coniunctivo coniungitur, nam res nondum certa est, sed tantum cogitatur. Sin autem proprio sensu temporali particula *dum* adhibita est, indicativum poscit, ut A. IV, 335 s: *nec me meminisse pigebit Elissae, / dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.*

Dum temporale cum coni. tantum temporibus: imperfecto et praesenti usurpatur, quia rem exspectatam, nondum finitam significat. G. IV, 457 ss, A. I, 3 ss: *multum ille... terris iactatus..., / ...dum conderet urbem / inferretque deos Latio*; II, 136, IV, 325 s, 434, X, 799 s, 809 s, XI, 739 s, XII, 570 s, Cu. 82 s.

c) De enuntiatis tempor. particula donec ornatis.

Particulae *donec* vis, quod ad coniunctivi usum pertinet, eadem est atque particulae *dum*. Tantum unum exemplum exstat: A. XI, 858 ss: *sagittam / deprompsit pharetra cornuque infensa tetendit / et duxit longe, donec curvata coirent / inter se capita.*

d) De enunt. tempor. particulis priusquam, antequam elatis.

Particulae *priusquam*, *antequam* pari modo atque omnes antecedentes tum cum coniunctivo coniunguntur, cum non tam tempus actionis indicant, quam potius significant, quo modo homo loquens aut agens actionem primariam comitetur quique conexus inter hominem et actionem exstet, quae vis omnis coniunctivi propria est. Itaque in exemplo: A. VI, 327 s: *nec ripas datur horrendas et rama fluenta / transportare prius, quam sedibus ossa quierunt*, tantum tempus indicatur idque ex mente Vergili, quo animae in alteram ripam Stygis deveniunt; sed G. II, 259 ss: *memento / ...ante supinatas aquiloni ostendere glaebas, / quam laetum infodias vitis genus* — iam coniunctivum habemus, quia res ex animo subiecti enuntiati primarii cogitatur et exspectatur. G. I, 221 ss, 347 ss, III, 469 s, IV, 305 ss, A. I, 192 s, III, 255 ss, 384 ss, XI, 809 s. In his omnibus exemplis is, qui loquitur, tamquam in media actione a se indicata moratur et coni. praesentis adhibet. Sed potest etiam e suo tempore totam actionem iam — praeterito vel praesenti tempore — non solum exspectatam sed etiam finitam ostendere eamque ab initio, ubi demum exspectata erat, usque ad finem, ubi iam eius eventus videri potest, perlustrare et in duos temporis limites inclusam ab eoque tempore, quo loquitur, seiunctam reddere. Tum coniunctivus perfecti aut plusquamperfecti adhibetur. Ea quidem re particulae *priusquam* et *antequam* a particulis, quas supra attuli, differunt. Tantum duo exempla inveniuntur: Coni. perf.: A. VI. 140 s: *sed non ante datur telluris operta subire, / auricomos quam qui decerpserit arbore fetus*; Coni. plusquapf.: A. I. 472 s: *ardentes avertit equos in castra, prius quam / pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.*

e) De enunt. temp. part. quando instructis.

Vis relativa particulae *quando* cum notione particulae relativae *cum* conferri potest. Coni. praes.: G. I, 252 ss: *hinc tempestates dubio praediscere caelo / possumus, hinc messisque diem tempusque serendi, / ...quando infidum remis impellere marmor / conveniat*; hic inest in voce *quando* similis significatio atque in voce *cum* in E. 7 s VIII, 7 s, (pag. 28), A. IV, 291 s.

4.

De enuntiatis adverbialibus causalibus.

Cum. De qua particula vide pag. 27 s, ubi de *cum* temporali tractavimus. Cu. 134 s: *nam vinctus sedet immanis serpentinibus Otos, / devinctum maestus procul adspiciens Ephialten, / conati cum sint quondam rescindere mundum*; Ci. 76 s. — Nexus causalis in enuntiatis relativis: A. I, 387 s: *quisquis es, haud credo, invisus coelestibus auras / vitalis carpis, Tyriam qui advenneris urbem*; II, 345 s, VI, 590 s, IX, 728 s, XI, 469 ss, XII, 612 ss.

5.

De enuntiatis condicionalibus.

Coniunctivus est potentialis aut optativus.

a) De enuntiatis conditionalibus quorum hypothasis est integrum enuntiatum primarium.

Praesens. Cum coniunctivo praesentis in hypothasi: condicio ipsa, quae ponitur, incerta est; tum etiam eventus in hypothasi dubius est; aliquid fieri potest aut non: E. X, 33 s: *o mihi tum quam molliter ossa quiescant, / vestra meos olim si fistula dicat amores*; G. II, 53 s, III, 474 s, A. I, 58 s: *ni faciat, maria ac terras coelumque profundum / quippe ferant rapidi secum verrantque per auras*; hic coniunctivum potentiale pro modo irreali usurpatum videmus; poëta dicere vult, eventum (*ferant*) ex voluntate Aeoli, qui agit, (*faciat*) suspensum esse, (pari modo coni. potent. pro modo irreali: A. II, 599 s, VI, 292 ss, XI, 912 s, XII, 733,) IV, 107 s, V, 17 s, 325 s, VI, 293 ss, 625 ss, IX, 211 s, XI, 912 s, Cu. 228; enuntiatum relativum: G. II, 105 s: *quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem / discere quam multae Zephyro turbentur harende*. — Cum coniunctivo perfecti in hypothasi: A. II, 599 s. — Cum coni. impf. et pls q upf.: G. IV, 116 ss: *extremo ni iam sub fine laborum / vela traham et terris festinem advertere proram, / forsitan et pinguis hortos quae cura colendi / ornaret canerem..; /// nec sera comantem / narcissum aut flexi tenuissem vimen acanthi*; in prothasi coni. potentialis significat id, quod subiectum enuntiati facere potest, quia id tantum ex voluntate

eius suspensum est ; coni. impf. in hypothasi indicat, eam rem, quae ex voluntate subiecti pendebat et fieri poterat, nunc iam nullo modo fieri posse, cum subiectum (poëta) omnino eam rem talem esse non putet, quae versibus suis digna sit , in altera hypothasi, — quae satis longo intervallo a priore distat, — iam id, quod in priore hypothasi praesenti tempore expressum erat, in praeteritum translatum est, qua re modus irrealis distinctius et clarius redditur.

Sin autem poëta dicere vult, aliquid certe futurum esse, dummodo id peractum sit, quod in prothasi positum est, indicativum in hypothasi adhibet. Itaque cum indic. praesentis in hypothasi: E. IX, 37 s, X, 64 ss, G. II, 42 ss: *non ego cuncta meis amplecti versibus opto, / non mihi si linguae centum sint oraque centum, / ferrea vox*; sed hic non tam condicionem quam potius concessionem prothasis continet; clare elucet certus eventus in: A. I, 372 ss: *o dea, si prima repetens ab origine pergam / et vacet annalis nostrorum audire laborum, / ante diem clauso componet Vesper Olympo*, G. IV, 454 ss, A. II, 261 s, V, 229 s, 346 s, XII, 233, 783, Ci. 155 s. Cum indicat. futuri: G. II, 49 ss, III, 10 s, A. XI, 792 s, XII, 204 s.

Perfectum: in hypothasi indicat. praesentis: G. IV, 77: *sin autem ad pugnam exierint*; hypothasis invenitur versu 86: *hi motus animorum atque haec certamina... quiescunt*, sed hic etiam indic. fut. ll. statuere possumus; similiter G. IV, 28 s (cum imperf. praesentis in hypothasi).

De modo irreali in enn. condic.

Modus irrealis significat: Si id fieret, quod condicione positum est, etiam aliam rem fieri necesse est; quia autem res condicione praeoccupata fieri non potest, etiam altera non fit. Itaque rem aliquam sive actionem veritati prorsus contrariam ponimus et ex ea conjecturam facimus de alia re. Modus irrealis tantum duo tempora exhibit: imperfectum et plusquamperfectum. Coniunctivus imperfecti actionem praesentem, coni. plusquapi. actionem praeteritam reddit.

Itaque ad rem designandam, quae veritati prorsus contraria est, Romani praeteritum tempus usurpabat et quidem coniunctivum potentialem praeteriti, quia id, quod non fit vel fieri non potest, pro praeterito iam habebant: sicuti etiam rem aliquam optatam, quam sciebant fieri non posse, secundariis temporibus exprimebant, nam omniuo tum demum de re aliqua dicere

possumus, eam fieri non posse, si eam iam praeterito tempore non factam esse cogitaverimus; quae res autem fit aut futura est, de ea nihil certi dicere possumus.

Imperfectum, cum coni. impf. in hypothasi. E. X, 37 ss: certe sive mihi Phyllis sive esset Amyntas / seu quicumque furor, ... // mecum inter salices, lenta sub vite iacet; G. II, 343 ss, A. IV, 311 ss, 328 ss, 340 ss: *me si fata meis patarentur duceat vitam / auspiciis et sponte mea componere curas, / urbem Trojanam primum dulcisque meorum / reliquias colerem: Priami tecta alta manerent / et recidiva manu posuisse Pergama victis;* hic imperfectum actionem describit, quae eo tempore fit, quo subiectum loquitur, plusquamperfectum unum punctum praeteriti temporis notat; V, 51 s, VI, 34, VIII, 510 s, X, 324 ss: *tu quoque Cydon, //... miserande iaceres, ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci / progenies, septem numero septenaque tela coniunt;* hic coni. impf. in prothasi in indicativum abit et altera prothasis quodam modo appositio est, quae ad vocem cohors refertur; 613 s, XI, 173 s: *tu quoque nunc stares immannis truncus in armis, / esset par aetas et idem si robur ab annis, / Turne;* in prothasi coni. impf. pro coni. plsqupf. repraesentationis causa invenitur; eandem repraesentationem habemus etiam in coniunctivo optativo vv. 153 et 162, Ci. 13 ss.

Cum coniunct. plsqupf. in hypothasi. A. II, 291 s: *si Pergama dextra defendi possent, etiam hac dextra defensa fuissent;* IV, 15 ss, V, 397 ss. — Cum indic. praes. A. 522 s: *non tali auxilio nec defensoribus istis / tempus eget, non, si ipse meus nunc adforet Hector.* — Cum indicat perfecti: G. I, 197 s. — Cum indicat. imperfecti. G. II, 132 s: *et, si non alium late iactaret odorem, / laurus erat;* hic poëta de arbore quadam dicit, quae in India crescit et lauro simillima est.

Plusquamperfectum. Cum coni. plusqupf. in hypothasi: E. III, 15: *si non aliqua nocuisses, mortuus esses,* A. II, 641 s, V, 232 s, VIII, 396 s, IX, 757 ss, XI, 118, 285 ss, Ci. 128 ss, 277 ss. — Cum coni. impf. in hypothasi: E. IX, 14 s: *qod nisi me quacumque novas incidere lites / ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix, / nec tuus hic Moeris nec viveret ipse Menalcas;* plusquamperfectum eventum actionis et statum rei significat, qui eo eventu effectus est, eumque ante oculos, sed praeterito tempore ponit; imperfectum actionem ipsam

describit; verbis *nisi monuisset* ipsum eventum actionis spectamus; actionem ipsam non curamus; tantum scire volumus, monueritne cornix an non; statum praeterito tempore effectum intellegere volumus, cum unum praeteriti temporis momentum eximus et ab omnibus antecedentibus et sequentibus momentis secludimus; tum ex hoc statu nostram coniecturam facimus: non viveret Menalcas. His verbis iam novam actionem indicamus, quae etiam tum durat, cum hoc loquimur, nos actioni ipsi admiscemur et quasi in mari invenimur, nam imperfectum actionem significat, quae sine initio et fine in longitudinem et latitudinem patet. Itaque plusquamperfectum statum alicuius rei praeterito tempore effectum, imperfectum actionem novam indicat, quae ex eo statu nascitur et usque ad nostrum tempus durat. Apud Vergilium plura eius modi exempla habebimus, ubi utraque tempora inter se ea notione, quam explicavimus, coniuncta sunt; ita etiam A. IV, 327ss; VII, 808 ss; XI, 285 ss. — Certus eventus in hypothensi redditus est indicativo perfecti (perf. histor.): A. II. 432 ss: *testor in occasu vestro nec tela nec ulla / vitavisse vires, Danaum et, si fata fuissent, / ut caderem meruisse manu;* hic infinitivus perfecti in oratione obliqua natus est ex indicativo perfecti orationis rectae; nam si in oratione recta coniunctivus imperfecti aut plusquamperfecti fuisset, in oratione abliqua infinitivum, qui in — *urum esse* aut — *urum fuisse* exiret, haberemus. Conditio: *st fata fuissent* fere vim optativi prae se fert neque arcte cum infinitivo *meruisse* cohaeret ita, ut ipsa per se quasi denuo ex mente Aeneae interpolatum enuntiatum cogitari possit; nam dicere etiam poterat Aeneas hoc loco: *utinam fata fuissent!* Sed hoc etiam saepe fit, ut conditio ad notionem coniunctivi optativi prope accedat. Nam, ut iam supra diximus, modus irrealis nihil aliud est nisi coniunctivus optativus, qui significat rem optatam fieri non posse et propterea eam in praeteritum tempus reponit. Quo modo coniunctivus optativus, imprimis cum particulis coniunctus, in enuntiatis condicionalibus munere fungatur, quod prothaseos proprium est, docet nos, ut unum argutum afferamus, exemplum: Ci. 296 ss: *atque utinam celeri ne tantum grata Diana / venatus essem virgo sectata virorum / Cnosia huc Partho contendens spicula cornu! / Dictaeos ageres ad gramina nota capellas;* vel A. XI, 584 ss, ubi optata res verbo *yellem* exprompta est; vel etiam A. VIII, 596 ss. In ceteris enuntiatis condicionalibus vis optativa in prothasi iam non tam clare appareat:

IV, 604; V, 355 s; VI, 870 s; XI, 112 s. Huc refero etiam exemplum A. IX, 140 s: *peccare fuisse / ante satis, penitus modo nunc genus omne perosos / femineum*; sensus huius loci hic est: si Troianos sui peccati paenituisse (i. e. eorum iniuriae, quam Atridis Helena rapta intulerant), omne nunc femineum genus odisse deberent; hypothesis mutata est in acc. c. inf., qui e prothasi nunc pendet; prothasis autem speciem enuntiati primarii accepit, ita ut coni. plusqupf. hic vim coniunctivi iussivi teneat.— Cum indicativo imperfecti in hypothesis: VI, 358ss; 537 ss; VIII, 522 s: *multaque dura suo tristi cum corde putabant, / ni signum caelo Cytherea dedisset aperto*; imperfectum significat hoc loco non actionem, quae e statu priore nascitur, sicuti hoc adhuc semper factum est, sed actionem, quae perfecta non est, quia alia in prothasi notata et uno temporis puncto peracta eam interruptum; sed Cu. 159 s. imperfectum et plusquamperfectum suo iure coniuncta sunt. — Cum indicat. plusqupf. in hypothesis: A. II, 54 ss: *et si fata deum, si mens non laeva fuisse — / impulerat ferro Argolicas foedare latebras: / Troiaque nunc staret, Priamique arx alta maneres*; indic. plsqupf. significat. Laocoontem certe Troianos impulsurum fuisse, ut ferro foedarent Argolicas latebras, si mens non laeva fuisse, poëta quasi iam foedatum equum videt; coni. impt. in altera parte rem significat, quae ad tempus refertur, quo subiectum loquitur, et veritati repugnat neque exsistit.

b) Hypothasis est adiectivum, participium vel alia vox.

Praesens. A. IX, 803: *aeriam caelo nam Iuppiter Irim / demisit germanae haud mollia iussa ferentem, / ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis*; hypothesis est: *haud mollia*.

Perfectum. G. II, 458 s: *o fortunatos nimium, sua si bona norint, / agricolas*; hic etiam coni. optativus particula *si* instrutus statui potest; cf. pag. 33.

Imperfectum. G. IV, 489: *ignoscenda quidem, scirent i ignoscere manes*.

Plusquamperfectum. E. VI, 45 s: *fortanatam is, nunquam armenta fuissent, / Pasiphaen nivei solatur amore invenci*; A. IV, 657 s; IX, 337 s; Cu. 292 s.

c) Hypothasis omnino deest.

Praesens. E. V, 9: *quid, si idem certet Phoebum superare canendo?*

Imperfectum. E. IX, 45: *numeros memini, si verba tenerem; enuntiatum numeros memini pro hypothasi non habeo.* quia nullus conexus logicus inter hoc enuntiatum et sequens: *si verba tenerem interest; immo vero hypothasis supplenda est, ut: et canerem vel simile;* A. X, 628 s.

Plusquamperfectum. E. I, 16 s: *saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fecisset, / de caelo tactas memini praedicer quercus;* A. V, 410 s.

d) De enuntiatis conditionalibus, in quibus prothasis deest.

Quattuor exempla exstant, in quibus modus irrealis inventur et ipse per se contare videtur; invenitum: impf. A. III, 490 s; XII, 810 ss; plsqu pf. A. IX, 704 s; XI, 567 s. Sed haec exempla enuntiatis conditionalibus adnumeramus, in quibus prothasis aut supplenda est ut: A. III, 490 s: *et nunc aequali tecum pubesceret aevo, si viveret; si militer XI, 567 s; XII, 810 ss; aut formam enuntiati primarii tenet, ut A. IX, 704 s: neque enim iaculo vitam ille dedisset, / sed magnum stridens contorta phalarica venit.* Itaque modus irrealis, qui in enuntiatis primariis ipse per se existat, apud Vergilium non invenitur: cf. pag. 21.

e) De enuntiatis conditionalibus post verba *conandi, deliberandi, interrogandi, similia.*

Haec exempla extremo loco in generibus enuntiatorum conditionalium enumerandis ponimus, quia condicio ad interrogacionem accedit, ita ut haec enuntiata non proprie enuntiata conditionalia dicantur.

Praesens. E. I, 56 s: *nemorum iam claudite saltus, / si qua forte ferant oculis sese obvia nostris / errabunda bovis vestigia;* G. III, 331 ss; A. I, 17 s; 180 s; IV. 84 s; 110 s; VI, 77 ss; X, 458 s; XI, 528; XII, 761 ss.

Imperfectum. A. IX, 172 s: *quos pater Aeneas, si quado adversa vocarent, / rectores invenum et rerum dedit esse magistros;* 512 ss; Cu. 317 s.

Plusquamperfectum. A. II, 94 ss; 135 s; 756 s.

6.

De enuntiatis concessivis.

Particulae inveniuntur: *licet, quamvis, cum.* Coniunctivus est coni. concessivus, quamquam post particulas *licet, quamvis* utpote

post verba, quae enuntiatum subst. exspectati exitus desiderabant, an tiquiore tempore coniunctivus optat. exstabat.

a) *Licet.*

Verbum impersonale *licet* postea in concessivam particulam abiit. Semper igitur cum primariis temporibus iungitur.

Praesens. A. XI, 348 s: *licet arma mihi mortemque minetur*; 438 s; Cu. 5.

Perfectum. A. VI, 802 ss;

b) *Quamvis.*

Quamvis, = *quam + vis* (2. sg.) apud Vergilium non solum cum coni. praes., sed etiam imperfecti et plusquamperfecti coniungitur.

Praesens. E. IV, 55 ss: *non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus, / nec Linus huic mater quamvis atque huic pater adsit, / Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo*; G. I, 38: II, 120 ss; 306; 387; IV, 207; A. III, 454 s; Ci. 18 s.

Imperfectum. E. I, 33 ss: *quamvis multa meis exiret yi ctimia saeptis, / pinguis et ingratae premeretur caseus urbi, / non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat*; II, 16; A. VIII, 379.

Plusquamperfectum. E. VI, 50 s; A. VIII, 379 s: *quamvis et Priami deberem plurima natis / et durum Aeneae flevisse saepe laborem*; in altero enuntiato positum est plusquamperfectum, quod singulis praeteriti temporis momentis finitam actionem flendi significat; quapropter arcte cum adverbio *saepe* cohaeret; in priore enuntiato imperfectum descriptivum suo iure invenitur.

c) *Cum.*

De notione particulae *cum* cf. pag. 27 s. G. I, 118: ...*haec cum sint hominumque boumque labores*; A. V, 807 ss; Cu. 376.

7.

De enuntiatis interrogativis indirectis, quae dicuntur.

Antiquiore tempore, quo in lingua Latina ratio iungendi enuntiata per hypotaxin quae dicitur nondum in usum venerat (cf. pag. 21 s), omnia obliqua enuntiata interrogativa notionem enuntiatorum primiorum habebant et tantum indicativum modum admittebant. Postea in eis tantum coniunctivus modus proba-

batur. Sed apud Vergilium etiam multa exempla exstant, in quibus indicativus invenitur, imprimis post imperativos: *vide, aspice, similes.* Exempla huc referenda iam pag. 8 s. memoravimus, ubi de coniunctivo in universum tractavimus.

Ut enuntiatum substantivi vices explens in duas partes primitivas divisimus: 1. *rogo te;* 2. *ut dicas!* (coni. optat. vel *dicas* coni. iussiv.) = *rogo te, ut dicas,* ita etiam in enuntiatis interrogativis duas easdem partes reperire possumus: *aspice, quam magnus sit* = 1. *aspice,* 2. *quam magnus est!* In altera parte vis exclamativa exsistit, quae semper interrogationi antecedit, nam si de aliqua re aliquid interrogamus, noster animus antea quodam modo affectus sit necesse est et miretur. Si dico: *aspice! quam magnus est!* rem extra me positam obiectivo modo qui dicitur referto nec mihi ipsi cum re aliquid commune est; contra in enuntiato: *aspice, quam magnus sit* iam animi affectum indico: *aspice; et dic mihi, quid tu de hac re putas;* *nam mihi mira quidem magnitudo eius videtur.* Ad hunc animi motum exprimendum coniunctivus sane aptus erat sive, ut clarius dicamus, sermo coniunctivum modum creavit, et indicativus pristinam suam vim abtinuit.

In statuendis generibus, in quae omnia enuntiata interrogativa dispertivi, semper verbum finitum respexi, e quo enuntiatum interrogativum pendet. Nam v. fin. enuntiati primarii in unum quodque enuntiatum interrogat. sui proprium colorem infert. Profecto alia vis inhaeret enuntiato interrogativo, quod e verbo *quaero* pendet, ut: *quaero te, quid heri feceris,* ubi coniunctivus est coni. potentialis et post interrogationem responsum exspectatur; alia vero vis in enuntiato interrogativo apparet, quod e verbo *delibero* pendet, ut: *delibero, quid mihi faciendum sit,* ubi iam nullum responsum exspectatur et coniunctivus sincerus coni. dubitativus est, qui e 1. persona sg. orationis rectae post verbum *delibero* in 3. personam sg. mutatus est; et iterum alia vis propria est enuntiati interrogativi, quod e verbis eiusmodi ut *video* pendet, ut: *video, ut properes;* similia.

Itaque non sumus ingressi viam a Draegero monstratam, qui in enuntiato primario, e quo enuntiatum interrogativum pendet, modum, tempus, personam respexit. Cuius viri docti materi a historica rerum ab ipso in unum copiose collata et in ordine m digesta adiutrice nixi naturam ipsam rerum penetrare et investigare conati sumus. Quid enim refert ad naturam coniunctivi

explicandam, utrum dicamus: *vides ut alta stet nive candidum Soracte*, an: *vide ut... stet...*; aut iterum utrum dicamus: *quaero te, cur veneris*, an: *quaeris me, cur venerim*; similia. Quae partitio tantum formam spectare nec rem de coniunctivo attingere nobis videtur. Nullum enim discrimen interest inter utraque exempla alterius paris; quod tamen invenimus inter utraque paria exemplorum, ut etiam inferius explicaverimus.

a) De enuntiatis interrogativis post verba: *quaero, interrogo, rogo, oro, flagito, precor*, similia. His verbis ad numero etiam imperativos: *dic, fare*. Post omnia haec verba vel responsum exspectatur vel omnino eventus aliquis desideratur, quem non nos ipsi sed alius homo aut res efficit. Quae enunciata recte interrogativa dicuntur. — E. II, 19: *nec, qui sim, quaeris, Alexi*; III, 105 (*dic*); 107: *dic, quibus in terris inscripti nomina regum / nascantur flores*; VIII, 62 (*dicite*); G. II, 227; 273 s: *collibus an plano melius sit ponere vitem, / quaere prius*; sed verba: *quaero, requiro* ea notione, quam in duobus ultimis exemplis tenent, etiam verbis: *considerandi et deliberaundi* ad numerari possunt, si non tam eorum formas quam rem spectamus, quam significant; contra in sequentibus exemplis iam propria notione haec verba redeunt: G. II, 288: *forsitan et scrobibus quae sint fastigia quaeras*; A. I, 749 s (*rogitans*); II, 506 (*requiras*); III, 59: *quae sit sententia posco*; 100 (*quaerunt*); 144 ss (*veniam precari*); II, 123 s (*flagitat*); V, 291 s (*invitat*); 485 s (*invitat*); VI, 389 (*fare*); 531 (*fare*); 710 s (*requirit*); VIII, 532 s (*quaere*).

b) De enuntiatis interrogativis post verba *considerandi et deliberaundi*.

Eventus actionis iam in nobis ipsis positus, quia nos ipsos quaerimus, cum rem aliquam perpendimus. Nam aliud profecto est: *quaero te, quid facias*, et aliud: *considero, quid facias*, In priore exemplo responsum ab eo, quem quaero, exspecto; in altero vero, si iam responsum aliquod habere volo, ego ipse mihi dem necesse est. E. III, 28 s: *quid posset uterque, vicissim / experiamur* (non possumus facere, quin moneamus, hic coniunctivum imperfecti post praesens enuntiati primarii extare); A. I, 76 (*explorare*); 307 (*explorare*); 516 ss (*speculantur*); II, 564 (*lustro*); V, 701 ss (*versans*); VI, 160 ss (*vario sermone serebant*); 198 (*observans*); VII, 131 s (*vesiigemus*); IX, 227 s (*consilium habebant*); X, 285 s (*secum versat*); 481: *aspice, num mage sit nostrum penetrabile telum*; verbum

aspice hic animi quandam actionem significat, quam ob rem etiam sequens enuntiatum, quod ex eo verbo *aspice* pendet, particula interrogativa *num* effertur; aliud esset, si diceremus: *aspice, ut mage sit n. p. t.*; 680 ss (*fluctuat*); XI, 561 (*temptat*); 748 s (*rimatur*).

c) De enuntiatis interrogativis post verba: *cognosco, video, intellego, miror, vereor*; similia.

Haec verba iam eventum actionis, quam verba *considerandi* et *deliberandi* notabant, et statum animi significant. Nam si dico: *delibero, quid sit*, animus meus in actione occupatus est; sin autem enuntio: *cognosco, quid sit*, hanc actionem iam perfectam esse indico. — E. IV, 27: *quae sit poteris cognoscere virtus*; 52 (*aspice*); G. I, 51 ss (*cura sit*); 335 ss (*sidera serva*); II, 105 ss (*discere*); 248 (*discimus*); 479—482 (*caeli vias et sidera monstrant*); G. III, 23 s (*videre*); 250 (*vides*); A. I, 466 ss (*videbat*); 676 (*nostram accipe mentem*); II, 75 (*memoret*); 350 (*videtis*); 596 (*aspicies*); III, 584 (*videmus*); IV, 39 (*venerit in mentem*); 560 (*cernis*); V, 474 ss (*cognoscite*); 737 (*disces*); VI, 574 (*cernis*); VII, 222 ss (*audiit*); 813 ss (*prospectat*); VIII, 385 s (*aspice*); IX, 18 s (*cernis*); 191 (*percipe*); 420 s (*conspicit*); 722 s (*cernit*); X, 20 ss (*cernis*); XI, 283 s (*credite*); 294 s (*audisti*); 708 (*nosces*); XII, 32 s (*vides*); 917 (*videt*); Ci. 48 (*accipe*); E. I, 36 s (*mirabar*); A. I, 454 ss (*miratur*); 671 s (*vereor*); II, 120 s (*tremor cucurrit*).

d) De enuntiatis interrogativis post alia verba, quae statum animi significant.

In enuntiato: *cognosco, quid sit* verbum *cognosco* statum animi, qui post verbum *deliberandi* exsistit, indicat et actionem ipsam *deliberandi* iam perfectam esse dicit; attamen aliquid de actione ipsa stringit et in se recipit, ita ut continuatio inter verba *delibero* et *cognosco* plane perspicua sit et facile restitui possit. In enuntiato: *scio, quid sit* verbum *scio* itidem animi statum indicat, sed hic iam cum actione *deliberandi* nun cohaeret et non solum a nobis ipsis sed etiam ab aliis hominibus vel rebus effectus esse potest. Itaque hos gradus statuimus in verbis distinguendis, quae in enuntiatis interrogativis e semet suspensis coniunctivum requirunt: 1. *deliberationem*, 2. *cognitionem*, 3. *scientiam*. Ad hunc tertium statum significandum imprimis nomina (substant., adiect.; particip.) apta sunt, quippe quae ab actione ipsa longissime distent. — G. III, 289 s; *nec sum animi dubius, verbis ea*

vincere magnum / quale sit; I. 24 ss (incertum est); III, 667 ss (nota tibi); A. I, 718 (inscia); 218 s (dubii); II, 799 s (animis opibusque parati); III, 7 (incerti); V, 6: notum, furens quid femina possit; V, 95 s (incertus); VIII, 15 s (manifestus); X, 108: Tros Rutulusne fuat, nullo discrimine habebo; XI, 154 s (ignarus); 310 s: cetera qua rerum iaceant perculta ruina, / ante oculos interque manus sunt omnia vestras; 321 ss (incertum); 726 ss (fata imponit); Cu. 191 (dubium). — Verba, quae hoc referenda sunt, sunt tantum scio et novi: E. III. 43: nunc scio, quid sit Amor; G. IV 392 s: novit namque omnia vates, / quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur; A. III, 652: huic (scil. classi) me, quaecumque fuisse, addixi; hic est supplendum v. finit. ut: quamquam nesciebam; VI, 513 s (nosti); XI, 345 (scire); XII, 143 ss (scis); 657 s: mussat rex ipse Latinus, / quos gencros volet aut quae sese ad foedera flectat; hic potius statum quam actionem animi vox mussat significare mihi videtur, quia hoc nuntius de Latino rege narrat et statum rerum describit, quem Lavinii apud cives et regem invenerit: idem statuo v. 718 s: stat pecus omne metu mutum mussantque iuvencae, / quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur; hic vox mussant idem significat atque nesciunt.

e) De enuntiatis interrogativis post verba dicendi et declarandi.

Quae verba omnibus ante allatis verbis prorsus contrariam notionem tenent in rebus, quae ad vim interrogativam enuntiati de eis pendentis pertinent. Nam si enuntio: *dicam, quid sit*, omnino responsum nullum desidero, nam profecto res mihi certa est, si de ea dicere volo; immo vero responsum alteri do. Quam ob rem enuntiatum interrogativum, quod ex his verbis pendet, in tales duas partes dissolverim: 1. alter homo interrogat me: *quid est?* 2. ego respondeo: *dicam tibi*. Sin autem interrogationem ab altero homine factam iterum recipio, ita ut ex enuntiato: *dicam* eam suspensam faciam, coniunctivo iam utar necesse est, quia haec interrogatio iam non vera et sincera, sed ex mente mea pendet; itaque enuntiatum *dicam, quid sit* accipiemus. — E. III, 42 s: *descripsit* (= dixit, demonstravit) *radio totum, qui gentibus orbem, / tempora quae messor, quae curvus arator haberet*; VI, 31 ss (*canebat*); 43 s: *his adiungit Hylan nautae quo fonte relictum / clamassent*; hic vox aliqua demonstrandi ut *canebat* supplenda est; 65 ss (*canit*); 78 ss (*loquar*); G. I, 1 ss

(*canere*); 160 (*dicendum*); 353 ss (*statuit*); 461 ss (*signa dabit*); II, 118 ss: *quid tibi referam...*, *vellera...* *ut foliis depectant tenuia Seres?* [proximo versu iam indicativum habemus: *aut quos Oceano propior gerit India lucos*]; 177 s; etiam hic verbum dicendi supplendum est; 270 ss: *ut, quo quaeque modo steterit*, ... / ... *restituant* (= significant); III, 158 ss (*notas inurunt*); IV, 537 (*dicam*); A. I, 8 ss (*causas memora*); 331 s (*doceas*); 742 ss (*canit*); II, 3 ss (*renovare dolorem = cum dolore logui*); 74 s (*fari*); 77 s (*fatebor*); III, 458 ss (*expediet*): 608 s (*fari*); IV, 115 s (*docebo*); V, 706 s (*responsa dabat*); 748 (*edocep*); VI, 756 ss (*expediam*); 890 ss (*memorat*); VII, 37 ss (*expediam*); 641–644 (*cantus movete*); VIII, 50 s (*docebo*); 288–293 (*ferunt*); IX, 525 ss (*canenti*); X, 149 ss (*memorat*); 163 (*cantus movete*); XI, 218 s (*decernere*); 240 (*fari*); 249 s (*docemus*); 314 s (*expediam*); VIII, 15 ss (*edoceat*). — Nomina quae notionem verbi declarandi excipiunt: G. II, 103 s: *sed neque quam multae species nec nomina quae sint, / est numerus*; IV, 283 ss: *tempus est Arcadii memoranda inventa magistri / pandere.* *quoque modo caesis iam saepe invencis / insincerus apes tulerit crux*; A. V, 789 s: *ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis / quam molem subito excierit*.

f) De enuntiatis interrogativis, in quibus nulla vis interrogativa inest.

In his enuntiatis causa interrogationis redditur, propterea interrogatio ipsa repetitur. Interrogatio est: 1. *cur* (= quod) *dicis?* Responsum: 2. *nihil*; et cum repetita interrogatione: *nihil est, quod (= cur) dicam*: cf. pag. 40 — Hic iam omnino de interrogatione non agitur, sed de eius causa; interrogatio ipsa sententiam primariam definit et describit sicuti attributum. Vel: *habeo, cur timeam = causam habeo, quae me cogit, ut timeam.* — E. III, 48: *nihil est, quod pocula laudes*; II, 2: *nec, quid speraret, habebat*; G. IV, 282: *nec, genus unde novae stirpis revocetur, habebit*; A. XII, 11 s: *nihil est, quod dicta retractent / ignavi Aeneadae nec, quae pepigere, recusent.*

8.

De enuntiatis modalibus.

Coniunctivus in enuntiatis modalibus semper coni. potentialis est; res, quam significat, plane incerta et tantum ex mente

subiecti (i. e. loquentis hominis) cogitata est. Apud Vergilium, praecipue in Aenete, plurima enuntiata modalia in comparationibus inveniuntur; sed hae maximam partem indicativum exhibent, qui modus epicae poësis proprius est, nam res vividis coloribus depingit.

Quia exempla huc referenda in genera certa distribui non possunt, iam omnia infra afferemus ipsaque pro se loquantur, cum nos non habeamus, quod de eis dicamus. Tantum tempora distinximus.

Praesens. A. IV, 669 ss: *resonat magnis plangoribus aether, / non aliter, quam si inmissis ruat hostibus omnis / Carthago aut antiqua Tyros flammaeque furentes / culmina perque hominum volvantur perque deorum;* VI, 470 s; VIII, 243 ss; XII, 124 s.

Imperfectum. A. VI, 200: *pascentes illae tantum prodire volando, / quantum acie possent oculi servare sequentem;* II, 438 ss.

Perfectum. A. XII, 67 ss: *Irdum sanguineo veluti violaverit ostro / si quis ebur aut mixta rubent ubi lilia multa / alba rosa, talis virgo dabat ore colores;* coniunctivus perfecti in priore enuntiato rem tantum a poëta cogitatam (perfectum propterea, quod poëta quasi iam effectum statum videt), coni. praes. in altero enuntiato rem iam vere exstantem significat.

Plusquamperfectum mixtum cum.

Imperfecto. A. VII, 808 ss: *illa vel intactae segetis per summa volaret / gramina nec teneras cursu laesisset aristas, / vel mare per medium fluctu suspensa tumenti / ferret iter celeris nec tingueret aequore plantas;* (de usu temporum confer, quod pag. 32 ad A. IV, 340 ss, pag. 32 ad E. IX, 14 s, pag. 36 ad A. VIII, 379 s dictum est).

9.

De coniunctivo in oratione obliqua quae dicitur positio.

Orationem obliquam sive indirectam intellego eam esse, qua verba alterius personae a subiecto enuntiati referuntur ita, ut e verbo finito, quod subiectum edixit, suspensa sint. Antiquiore tempore verba ab altero homine dicta directe referebantur i. e. ita, ut audita erant. Postea autem, cum iam coniunctivus in usu erat,

haec verba iam sicuti aliquid cogitatum pronuntiabantur. Itaque nuntius venit ad senatum et refert hostis verba: *date arma*. Postea autem verba haec a nuntio ex ipsius mente cogitata referabantur: *hostis dixit, arma darent*. Unum exemplum apud Vergilium inveni, in quo hic pristinus modus alterius sententiae redendae observari potest: A. XII, 452 s (poëta narrat de sidere, quod a coelo abruptum in terram cadit et agricolis malum prodigium est; deinde haec dicit): *miseris, heu, praescia, longe / horrescunt corda agricolis, dabat illa ruinas / arboribus stragemque satis, ruet omnia late, — ubi dabit, ruet ex mente agricultae dicta sunt et verbis *praescia*, horrescunt explicandis inserviunt sive potius ex his pendent*. Nos acc. c. inf. diceremus.

Hoc loco afferam exempla, in quibus ob eam tantum causam coniunctivus exstat, quia in oratione obliqua invenitur. Exempla autem, in quibus ad constantem Vergilianum usum coniunctivum exspectamus, etiamsi in oratione recta essent, ut in enuntiatis consecutivis aut finalibus, hic non enotavimus, cum iam de iis supra suo loco memoratum esset. Ceterum tantum unum exemplum exstat, de cuius coniunctivo dubium est, utrum oratione obliqua exigatur an etiam in oratione recta necessarius fuerit, quod est *cum* narrativo vel potius temporali instructum: A. VII, 735 s: *nec tu carminibus nostris indictus abibis, / Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha / fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret, / iam senior*; hic igitur incertum est, utrum Vergilius coniunctivum posuerit, etiam si ex sua mente dixerit, an indicativum.

Ceterum haec sunt exempla cum coniunctivo orationis obliquae et haec tempora, quae subiectum enuntiati ahibusset, si poëta rem ex sua mente enarravisset.

Praesens. G. I, 415 s: *haud equidem credo, quia sit divinitus* (sicut vulgo creditur) *illis / ingenium aut rerum fato prudentia maior*; A. IV, 192 s: *pariter facta atque infecta canebat: / venisse Aeneam Troiano sanguine cretum, / cui se pulchra viro dignetur iungere Dido*; in oratione recta coniunctivus hic, ut Vergilianus usus docet, necessarius non est; V, 651; 288 ss; Ci. 63 s.

Imperativus Praesentis. A. IV, 289—291:

Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum: / classem aptent taciti sociosque ad litora cogant, / arma parent et, ... /

dissimulent; V, 550; VI, 392 ss; IX, 42; X, 48 s; XI, 103 s; 826; XII, 389 s.

Perfectum. A. XII, 206 s: *atque equidem memini* — ... / *Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris / Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes*; 765 ss.

Futurum. I. A. II, 178; *nec posse Argolicis excindi Pergama telis, / omina ni repetant Argis numenque reducant*; IV, 229 ss; VIII, 15; 148 s; 535 s; Ci. 247 ss.

Futurum II. A. II, 189 ss: *nam si vestra manus violasset dona Minervae, / tum magnum exitium* ... / ... *Priami imperio Phrygibusque futurum*; 192; IX, 41; X, 49, Ci. 122; 365; 421.

Imperfectum. A. VIII, 129 s: *non equidem extimui, Danaum quod ductor et Arcas / quodque ab stirpe fores geminis coniunctus Atridis*; 650; V, 590 ss.

Plusquamperfectum. A. V, 621 s: *fit Beroe, Tmarii coniunx longaeva Dorycli, / cui genus et quondam nomen natique fuissent*; VIII, 323 ss; Cu. 175 ss; Ci. 529 ss.

Itaque si Vergilianum coniunctivi usum in universum spectamus, haec summatim dicere possumus:

1. Vergilius in coniunctivo usurpando cum aliis excellentibus florentis rei publicae et Augusti tempore viventibus scriptoribus convenit.

2. His tantum rebus ab eis differt:

a) In enuntiatis interrogativis obliquis praeter coniunctivum etiam indicativum usurpat, imprimis post imperativos; cf. pag. 8 ss.

b) Semel in oratione obliqua indicativum ponit; cf. pag. 43 s.

c) Coniunctivus concessivus in enuntiatis primariis tantum terredit, bis cum praesenti tempore, semel cum plusquamperfecto coniunctus; cf. pag. 21.

d) Particula *forsitan* cum indicativo primariorum et secundariorum temporum usurpatur; cf. pag 2 s.

e) Enuntiata concessiva cum coniunctivo per pauca exstant eaque tantum particulis *licet, quamvis, cum* exornata sunt; cf. pag. 35 ss.

f) Modus irrealis in enuntiatis primariis non invenitur; cf. pagg. 35 et 21.

g) Coniunctivus optativus et iussivus post verba *oro*, *rogo*, *cupio*, similia, ita usurpatur, ut viam enuntiatis finalibus muniat nondum particula *ut* instructis ; cf. pag. 22 s.

h) Coniunctivus optativus et iussivus saepe negativa particula *neque pro neve* cum antecedenti enuntiato coniunguntur ; cf. pagg. 18 s et 2 ss.

i) Semel coniunctivus optativus cum negatione *non* invenitur ; cf. pag. 18 s.

k) Semel in enuntiato finali pronomen *quisquam* post negationem *ne* positum est ; cf. pag. 26.

l) Semel post praesens in enuntiato primario coniunctivus imperfecti in enuntiato consecutivo exstat ; cf. pag. 24.

m) Bis plusquamperfectum in enuntiato consecutivo usurpatum est ; cf. pag. 24.

n) Semel invenitur plusquamperfectum in enuntiato finali ; cf. pag. 26.

o) *Cum* narrativum cum coniunc. plusquamperfecti non invenitur ; altera ex parte *cum* narrativum cum coni. praesentis occurrit ; cf. pag. 28.



Ч а с т ь у р я д о в а.



I. Учительский збір

з кінцем шкільного року 1908/1909.

